



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 144. Vtrum Angeli possint se ipsos localiter mouere motu continuo, vel non continuo, qui sit accidens in ipsis intrinsecè receptum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

continere corpus humanum, cum eoque intimè penetrari, & sic consequenter penetrari cum anima rationali corpori unita. At angelus non debet posse continere alium angelum: ergo non debet posse esse in eodem loco cum alio angelo, præsertim cum eo ipso non perfectè contineret locum corporeum, vt explicatum est num 11. Hinc infero, quod ex rationibus proportionalibus animæ separata non possunt simul esse in eodem loco, & quod angelus non potest esse in eodem loco cum anima separata.

18. Ad 4. Nego maiorem. Cum multi daemones sunt in eodem energumeno, vnus est in vna parte corporis, alius in alia. Et quia corpus est diuisibile in infinitum, angeli autem possunt esse in loco minori, & minori in infinitum, ac etiam in punctis, vt dictum est quæst. 141. num. 11. ideo angeli plures, & plures in infinitum possunt esse in eodem corpore energumeni, absque eo quod inuicem penetrarentur.

19. Ad 5. patet ex dictis, cum sint explicata rationes Sancti Thomæ, Sancti Bonauenturæ &c. ita vt habeant sufficientem probabilitatem.

QVAESTIO CXLIV.

Utrum Angeli possint se ipsos localiter mouere motu continuo, vel non continuo, qui sit accidens in ipsis intrinsecè receptum?

S. Thom. qu. 53. art. 1.

1. **V**identur angeli præsertim beati non posse localiter moueri: primò quia motus est actus imperfecti, vt docet Aristoteles 3. Physic. textu 60. sed angeli præsertim beati non sunt imperfecti, sed sunt in statu summæ perfectionis; ergò.

2. Secundò quidquid mouetur, mouetur propter indigentiam, ideoque Deus, quia nullius eget, moueri nequit: sed Angeli præsertim beati nullam habent indigentiam; ergò.

3. Tertiò vt docet Aristoteles 7. Physic. t. 86. & sequent. nullum indiuisibile, sine impartibile, & partibus carens potest localiter moueri; sed Angeli sunt indiuisibiles, & partibus carent; ergò.

4. Quarto August. lib. de Gen. ad litt. cap. 20. & 26. dicit creaturam corpoream moueri per loca, & tempora, spiritualementem verò solum per tempora: ergo existimat Angelos non posse moueri localiter.

5. Quinto videtur Angelus saltè non posse moueri motu continuo. Vt enim arguit Arist. lib. 6. Phys. t. 32. & 36. dum aliquid mouetur motu continuo, non est totaliter in termino ad quem, quia dum aliquid est totaliter

in termino ad quem, non mouetur, sed iam est motum; neque est totaliter in termino à quo, quia dum aliquid est totaliter in termino à quo adhuc non incepit moueri; ergo quod mouetur motu continuo, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, & proinde habet partes; sed angelus caret partibus; ergo angelus non potest moueri motu continuo.

6. Sexto videtur angelus non posse mouere se ipsum. Vt enim docet Aristoteles 7. Physic. tex. 1. omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ideoque vt aliquid moueat se ipsum, debet in eo pars mota distingui à parte mouente, eo pacto, quo in animalibus corpus, quod mouetur, distinguitur ab anima, quæ mouet: sed in angelo cum partibus careat, pars mouens non distinguitur à parte mota: ergo angelus non potest mouere se ipsum.

7. Respondeo ex Scholasticis Heruæum, tantummodo, & Durandum docuisse angelos non moueri localiter. Heruæus enim tract. de motu angeli, quæst. 1. art. 1. & 2. docet angelum secundum substantiam non esse verè in loco, ac consequenter verè non moueri localiter, siquidem impossibile est, vt quod verè non est in loco, verè moueatur localiter. Durandus autem in 1. dist. 37. par. 2. dist. quæst. 1. docens angelum semper esse vbique, vel saltem semper esse in omnibus locis, in quibus esse potest, & operari, docet etiam Angelos non moueri localiter, cum non possit aliquid moueri, absque eo quod de nouo acquirat locum, in quo antea non erat.

8. Dicendum primò cum communi sententia Theologorum, & Patrum: angeli localiter mouentur.

Probatur primò ex Scriptura. Nam Iob. 1. daemones dicit: *Circumui terram, & perambulauit eam*, & 1. Petri dicitur de daemone *circumui quærens quem deuoret*: sed circuire terram, eamque perambulare importat motum localem: ergo. Matth. 12. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: reuertar in domum meam &c.* Tunc vadit, & assumit alios septem spiritus secum, & intrantes habitant ibi: sed ambulare, reuerti, vadere, intrare, important motum localem: ergo. Luc. 1. de Gabriele dicitur: *Et ingressus Angelus ad eam: discessit Angelus ab ea: &c.* sed ingredi, ac discedere important motum localem: ergò.

9. Probatur secundo ex Patribus. Dionysius de cælesti Hierarchia, cap. vlt. dicit angelorum pedes alatos depingi propter motus celeritatem. Nazianzenus Orat. 34. quæ est. 2. de Theologia de angelis dicit: *Loca omnia peragranti, omnibusque impigre adsunt, tum ob ministerij promptitudinem, tum ob naturæ leuitatem*. Chrysost. Hom. 3. in Epistolam ad Hebræos in verba illa, *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi*, dicit hanc esse differentiam inter angelos, qui mittuntur, & filium Dei, qui etiam missus est, quod illi cum mittuntur, lo-

ea mutant, non autem filius Dei. Damasc. lib. 1. de Fide cap. 17. dicit: *Angelus ob naturæ pernitentiam, & quia promptè, & celeriter transit, in diuersis locis operatur.* Ex latinis Tertull. in Apologia contra Gentiles, cap. 22. dicit: *Omnis spiritus ales est: hoc Angeli, & demones: igitur momento ubique sunt.* Ambros lib. 1. de Spiritu Sancto, cap. 10. ponit hanc differentiam inter Spiritum Sanctum, & angelos, quod *Seraphim de loco ad locum transit; non enim complet omnia, sed ipsum repletur à spiritu.* Seraphim descendit cum aliquo secundum suam naturam transitu: at verò de Spiritu Sancto hoc non possumus estimare. Hyeron. Epist. 53. contra Vigilantium in illud Apoc. 14. *Sequuntur agnum quocumque ierit, dicit. Cum diabolus, & demones toto vagentur orbe, & celeritate nimia ubique presentes sint, martyres post effusionem sanguinis sui arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt?*

10. Probatur tertio ratione. Ut enim dictum est quæst. 137. angeli propriè sunt in loco, & ut dictum est quæst. 140. non sunt ubique; sed non debent esse alligati vni tantum loco: ergo debent posse moueri localiter ab vno loco ad alium: alioquin essent prioris conditionis, quam animalia, quæ possunt ex vno loco moueri in alium. Confirmatur: nam Deus eatenus est localiter immobilis, quatenus per suam immensitatem occupat omnia loca: sed angeli non sunt immensi, ac non occupant omnia loca: ergo debent posse moueri ex vno loco in alium.

11. Sed pro maiori explicatione motus angelici, quæres primò, verum angeli moueantur localiter eodem pacto, quo corpora localiter mouentur?

Respondeo negatiuè cum Sancto Thoma; qui hoc art. 1. quæst. 53. in corp. dicit. *sicut esse in loco æquiuocè conuenit corpori, & Angelo, ita etiam & moueri secundum locum.* Probatur. Ut enim dixi quæst. 137. num. 17. eatenus angelus est in loco diuerso modo, ac corpus, quatenus corpus applicatur loco per contactum quantitatum, angelus applicatur loco non per contactum quantitatum, sed virtutis: sed corpus mouetur per hoc, quod per contactum quantitatum de nouo applicetur loco, cui ante non erat applicatum: angelus mouetur per hoc, quod per contactum non quantitatum, sed virtutis de nouo applicetur loco, cui ante non erat applicatum: ergo ex proportionali ratione, ex qua angelus diuerso modo est in loco, ac corpus, angelus diuerso modo mouetur localiter, ac corpus.

12. Queritur secundo, verum motus localis angeli sit aliquid distinctum à loco, & ab ipso angelo?

Respondeo affirmatiuè consequenter ad dicta de vicatione angelica quæst. 138. num. 25. Probatur: nam potest esse locus & esse angelus, absque eo quod angelus moueatur in tali loco; ergo hoc, quod est, angelum moueri in tali loco, est aliquid distinctum

ab angelo, & à loco, in quo angelus mouetur.

13. Queritur tertio, verum motus localis angeli sit accidens intrinsecum ipsi angelo?

Respondeo tres esse sententias. Prima, docet angelum moueri localiter per denominationem purè extrinsecam, ita ut talis motus non importet vllum accidens intrinsecum ipsi angelo. Suarius lib. 4. de angelis, cap. 12. tribuit hanc sententiam Gregorio in 2. dist. 6. quæst. 1. & 2. Caietano in Comm. huius art. 1. quæst. 53. Ferrariensi 3. contra Gentes cap. 162. Agid. in 1. distin. 37. par. 2. dist. art. 2. quæst. 1.

14. Secunda sententia docet angelum, dum mouetur per se, moueri per denominationem intrinsecam, ita ut talis motus sit accidens receptum in ipso angelo: dum verò mouetur per accidens in corpore assumpto, moueri per motum receptum in tali corpore, proportionaliter, ac ut diximus quæst. 27. Physica anima rationalis vnita corpori, mouetur per accidens motu recepto in corpore. Hanc sententiam sequitur Vasques 1. par. disp. 195. cap. 4. & 5.

15. Tertia sententia Suarii lib. 4. de angelis, cap. 13. & 14. pro qua citat etiam alios, docet angelum, seu moueatur per se, seu per accidens, moueri localiter motu, qui sit accidens receptum in ipso angelo.

16. Dicendum cum hac tertia sententia: angelus seu moueatur per se, seu per accidens cum corpore assumpto, mouetur motu, qui est accidens receptum in ipso angelo.

Probatur prima pars ex Aristotele, qui 3. Physic. t. 18. dicit: *manifestum est, quod motus est in ipso mobili*, idemque docet 9. Metaph. t. 9. sed hoc præcipue est intelligendum de motu, quo aliquid per se mouetur, non autem per accidens ad motum alterius: ergo.

17. Probatur secundo: nam potest dari locus cum omnibus suis intrinsecis, absque eo quod angelus moueatur in tali loco, e. g. potest dari coelum empyreum cum omnibus suis intrinsecis, absque eo quod angelus moueatur in coelo empyreo; ergo id, per quod angelus mouetur in coelo empyreo, addit aliquid intrinsecum ipsi angelo: sed hoc intrinsecum angelo est positium, & accidentale, proportionaliter, ac calefactio, refrigeratio &c. sunt quid positium, accidentale: ergo.

18. Probatur secunda pars, quod nimirum angelus etiam dum mouetur per accidens in corpore assumpto, puta in corpore aereo habente figuram humanam, moueatur motu recepto in ipso angelo. Angelus enim cum sit suppositum spirituale, & per se subsistens, connaturaliter semper debet viciari vicatione sibi proportionata, & moueri motu sibi proportionato: sed supposito spirituali proportionatur vicatio spiritualis, ac motus spiritualis; ergo angelus etiam cum assumit corpus, cum remaneat suppositum, debet habere

430 De Angelorū motu continuo, vel discreto.

bere suam vicationem spiritualement, & si localiter moueatur, debet moueri motu spirituali, ac recepto in ipsomet angelo, etiam si in aliquo sensu moueatur per accidens ad motum corporis assumpti. Ex opposita ratione animalis vnita corpori, cum sit forma substantialis corporis, & cum corpore constituat suppositum materiale, debet viciari, & moueri per accidens vicatione materiali, & recepta in corpore, vt dictum est quæst. 27. Physicæ.

19. Queritur quarto, vtrum motus localis angeli sit accidens modale, & ad quod prædicamentum pertineat?

Respondeo, quod sicut ex dictis quæst. 138. num. 30. & 31. viciatio angelica est accidens modale pertinens ad prædicamentum *vbi*, sic motus localis angeli est accidens modale pertinens ad prædicamentum *vbi*. Ratio est, quia sicut calefactio, quæ est motus ad qualitatem caloris, pertinet ad prædicamentum caloris, sic motus localis, qui est ad locum, & vicationem, spectat ad prædicamentum loci, & vicationis: & sicut viciatio est accidens modale, vt dictum est ibidem, sic motus localis est accidens modale.

20. Queritur quinto, vtrum angelus moueat se ipsum, cauendo in se effectiue suum motum?

Respondeo affirmatiue cum omnibus Theologis. Probatur primò ex Scriptura. Nam locis citatis num. 8. Dæmon dicitur circuire terram, & perambulare; exire ab homine, ambulare per loca arida, reuerti in domum suam, vadere, intrare: angelus Gabriel dicitur ingressus ad Beatam Virginem, & ab ea discessisse: sed qui non mouet se ipsum, propriè non dicitur circuire, ambulare &c. ergo angeli mouent se ipsos, & efficiunt in se suum motum.

21. Probatur secundo ex Patribus. Nam Patres adducti num. 9. dicunt, quod angeli loca omnia peragunt ob naturæ leuitatem, ob naturæ pernecitatem, citò, & celeriter transeunt; quod quia alitè sunt, momento vbi que sunt; quod dæmones toto vagantur orbe, & celeritate nimia præsentès vbi que sunt &c. sed velocitas motus angelici non tribueretur naturæ leuitati, pernecitati, & celeritati, si angeli non mouerent se ipsos, efficiendo in se suum motum: ergo.

22. Probatur tertio ratione. Nam in viuèntibus, quæ non sunt vbi que, est magna quædam perfectio, vt possint se mouere, & ex vno loco in alium transire, præsertim cum non possint agere in distans; sed hæc perfectio conuenit viuèntibus inferioribus, & corporeis, nimirum animalibus: ergo debet multo magis conuenire viuèntibus superioribus, & incorporeis, nimirum Angelis: ac proinde Angeli, cum non sint vbi que, possunt se mouere, efficiendo in se suum motum, & suam virtutem varijs locis, & corporibus applicando.

Addo, quod licet Angeli possint mouere

localiter se ipsos, possunt etiam moueri à Deo, & fortasse ab alio Angelo superiori, ita vt ad talem motum purè passiue se habeant.

23. Queritur sexto, vtrum Angeli possint se mouere tum motu continuo, tum motu non continuo?

Respondeo duas esse sententias. Prima docet Angelum cum sit indiuisibilis, non posse se moueri motu continuo, ita vt partes loci paulatim, & successiue in tempore continuo acquirat. Docuit hanc sententiam Sanctus Thomas in 1. distinct. 37. quæst. 4. art. 3. eamque secutus est Hibernicus.

24. Secunda sententia docet Angelum posse moueri motu tum continuo, ita vt partes loci de nouo acquirat successiue, & continuè, tum non continuo. Hanc sententiam, retractata priori, docuit Sanctus Thomas 1. p. quæst. 53. art. 5. Caietanus in Comm. & Thomistæ communiter, nec non Scotus, Maior, Marsilius, Gregorius, & alij, quos referunt, & sequuntur Suarius lib. 4. de angelis, cap. 20. & Vasqu. 1. par. disp. 195. cap. 6.

25. Dicendum cum hac secunda sententia: angelus potest moueri motu tum continuo, tum non continuo.

Probatur prima pars. Angelus enim licet sit indiuisibilis, & vicietur per vicationem permanentem indiuisibilem, tamen potest esse in loco diuisibili, vt dictum est quæst. 139. Ponamus ergo, quod sit in loco palmari. Potest ita per motum localem relinquere locum illum palmarem, & acquirere locum palmarem proximum, vt tempore continuo paulatim, & successiue relinquat locum palmarem, in quo erat, & paulatim, acquirat locum palmarem proximum, ita vt quantum relinquit de loco palmari, in quo prius erat, tantum acquirat de loco palmari proximo: sed si hoc pacto moueatur, mouetur motu continuo, & successiue: ergo &c.

26. Dices: mobile dum continuè mouetur, partim est inter termino à quo, partim in termino ad quem: sed hoc repugnat angelo, qui partibus caret: ergo motus continuus repugnat angelo.

Respondet Sanctus Thomas hoc articulo 3. quæst. 53. in respons. ad 3. quod vt mobile moueatur continuè, non requiritur, vt dum mouetur, pars eius sit in termino à quo, pars sit in termino ad quem, sed sufficit, vt sit in parte termini à quo, in parte termini ad quem: sed angelus potest ita moueri à primo palmo ad secundum, vt paulatim, & successiue acquirat partes secundi palmi, ac proinde, vt dum sic mouetur, sit in parte prioris palmi, & in parte palmi posterioris: ergo angelus, licet partibus careat, potest moueri continuè.

27. Probatur secunda pars. Nam angelus existens in loco palmari, potest etiam ita moueri, vt non successiue, & paulatim, sed simul relinquat totum locum palmarem, in quo ante erat, & acquirat totum locum palmarem proximum; sed si sic moueatur, motus

tus iste non erit continuus: siquidem per eum non prius acquireret ynam partem loci, deinde aliam, sed simul acquireret omnes; ergo &c.

28. Ad 1. Respondeo primò cum Sancto Thoma in resp. ad 2. distinguo maiorem: motus, quo aliquid existens in potentia ad suam ultimam perfectionem, mouetur ad illam acquirendam, est actus imperfecti, concedo: motus, quo existens in actu, & habens suam ultimam perfectionem, mouetur, vt applicet suam virtutem actiuam alijs, est actus imperfecti, nego maiorem; & concedo minorem; ac nego consequentiam. Motus, quo aliquid existens in potentia ad suam ultimam perfectionem, mouetur ad illam acquirendam, est actus imperfecti: e. g. motus augmentacionis, quo animalia, & plantæ nondum habentia debitam magnitudinem, mouentur ad illam acquirendam, est actus imperfecti. At motus, quo res iam habens suam ultimam perfectionem, mouetur ad illam communicandam alteri, est actus perfecti: e. g. motus, quo animalia iam perfecta mouentur ad generandum, est actus perfecti: motus, quo corpora coelestia iam perfecta mouentur circulariter, vt agant in corpora inferiora, est actus perfecti: sed angeli beati iam habentes ultimam perfectionem beatitudinis mouentur localiter, vt suam virtutem communicent, & applicent alijs rebus: ergo. Secundo responderi potest, concedo maiorem, & distinguo minorem: angeli beati non sunt transcendentaliter imperfecti imperfectione opposita vbiquitati, quæ imperfectio est cõmunis cuilibet creaturæ, nego: non sunt imperfecti in genere angeli, concedo: & nego consequentiam. Angeli etiam beati non sunt vbique, ideoque sunt imperfecti imperfectione opposita vbiquitati, adeoque possunt moueri ad loca, in quibus non sunt: solus Deus, quia est vbique, non potest moueri ad vllum locum. Ex proportionali ratione Deus, quia scit omnia, non potest quicquam discere, nec moueri motu discendi: Angeli etiam beati, quia non sciunt omnia, possunt moueri motu, quo discant quæ ante nesciebant.

29. Ad 2. distinguo maiorem: quidquid mouetur, vt acquirat perfectionem, quæ caret, mouetur propter indigentiam, concedo: quidquid mouetur, vt applicet alijs suam virtutem actiuam, mouetur propter indigentiam, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Sicut corpora coelestia, quia mouentur circulariter, vt applicent suam virtutem actiuam inferioribus, non mouentur propter indigentiam, sic angeli. Addo, quod Angeli etiam beati, cum non sint vbique, habent quamdam indigentiam transcendentelem, propter quam debent posse se per motum applicare successiuè pluribus locis.

30. Ad 3. respondeo cum Sancto Thoma in responsione ad 1. distinguo maiorem: nulum indiuisibile, & partibus carens potest, si oc-

cupet locum diuisibilem, moueri motu continuo, nego: si non occupet locum, diuisibilem, transeat: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Primò indiuisibile occupans locum diuisibilem, vel potens illum occupare, potest moueri motu continuo, vt cum Sancto Thoma probatum est num. 25. & 26. sed angelus ita est indiuisibilis, vt occupet locum diuisibilem, vt dictum est quæst. 141. num. 11. ergo. Secundo indiuisibile potest saltem moueri motu non continuo, quo simul acquirat totum locum, ad quem mouetur. Ad do, quod Scotus in 2. dist. 2. qu. 9. docet contra Aristotelem, quod etiam punctum quantitatum, si posset esse separatim à partibus diuisibilibus, moueri posset motu continuo.

31. Ad 4. August. lib. de Gen. ad litt. cap. 20. & 26. dicens creaturam corpoream moueri per loca, & tempora, spiritualement verò solum per tempora, negat solum angelum moueri per loca ad modum corporum motu quantitativo, non autem negat moueri motu purè intelligibili.

32. Ad 5. concedo, quod dum aliquid mouetur motu continuo, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, ita vt sit in parte termini à quo & in parte termini ad quem, vt ex Sancto Thoma explicatum est num. 26. sed angeli possunt ita moueri, vt dum mouentur, sint in parte termini à quo, & in parte termini ad quem, vt dictum est ibidem: ergo angeli possunt moueri motu continuo.

33. Ad 6. Principium illud, omne, quod mouetur, ab alio mouetur, non debet ita intelligi, vt negetur aliquid posse esse causa partialis sui motus, sed solum vt negetur posse esse causa totalis: ergo angelus potest se ita mouere, vt sit causa secunda sui motus, concurrente causa prima, quæ est vbique. Addo, quod etiam si in eo, quod se mouet, deberet dari aliquod principium actiuum motus distinctum à subiecto motus, cum angelus se moueat per intellectum, & voluntatem, intellectio, & volitio, quæ est quoddam principium mouens localiter, distinguitur ab ipsa substantia Angelici, quæ est subiectum recipiens motum.

QVAESTIO CXLV.

Virum Angeli possint transire de loco ad locum, non prius transendo per medium?

S. Th. qu. 53. art. 2.

1. **V**identur angeli non posse transire de loco ad locum, absque eo quod prius transcant per medium. Corpora enim non possunt transire à loco ad locum, quin prius transcant per medium: ergo neque angeli.

2. Secundo angelus non potest naturali virtute efficere aliquid contra ordinem vniuersi